



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 27. Varia Fœderatorum expeditio contra Gallos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67627)

Sæc. XVII. Minus prospere hoc anno Veneti dimi-  
 A.C. 1692. carunt; quamvis enim Delphinus in  
~~\_\_\_\_\_~~ Dalmatia Turcas iterata clade attrivif-  
 fet, a Barbaris tamen inclusus pacta vitæ  
 incolumitate cedere coactus est: In  
 Cretenfi quoque Insula, postquam Ca-  
 rabusa Urbs proditione Turcis tradita  
 esset, Mocenigus unacum Trautmans-  
 dorffio Comite Cretam terra marique  
 obsedit, Bassamque, qui ad liberan-  
 dam urbem advolabat, aggredi consti-  
 tuit: ast fervente conflictu septingenti  
 Galli ad Turcas transfugi in Christianos  
 arma vertere, quorum perfidia  
 Veneti ad interneccionem deleti fuif-  
 sent, nisi Melitenses Equites suppetias  
 tulissent; vicem tamen in Morea re-  
 pendit Vendraminus, qui Seraskierum  
 a Neupactensi obsidione non sine bar-  
 barorum clade ac ignominia generose  
 repulit.

## §. XXVII.

*Varia Fæderatorum expeditio con-  
 tra Gallos.*

Postquam Lorgius Franciæ Marefcal-  
 lus Phorzheimium inter & Durla-  
 cum Cæsareos profligaverat, Heidel-  
 bergam & Moguntiam astu ac quorum-  
 dam proditione intercipere tentabat,  
 detecta autem perfidia, totam rabiem  
 in

in Manheimenses effudit, atque in- Sæc. XVII.  
 census ligneis eorum casis nudos nullo A. C. 1692.  
 ætatis aut sexus discrimine inhumane  
 cruciari passus est: postea in Wirten-  
 bergensem Ducatum inopinate irrum-  
 pens, Administratorem, & Soyerum  
 Ducem unacum sexaginta gregariis  
 Argentinam raptari iussit. Sub idem  
 ferme tempus trajecto Rheno Melacus  
 vicina oppida spoliis atque incendiis  
 fœde devastabat, Tallardus autem Rhe-  
 nofessam obsidebat, desideratis tamen  
 bis mille aufugere coactus est: Jam  
 autem ipsemet Ludovicus Franciæ Rex  
 Namurci in Belgio obsidionem susce-  
 perat, quam etiam urbem unacum  
 arce munitissima post unius mensis &  
 aliquot dierum oppugnationem acer-  
 rimam deditione cepit, ac paulopost  
 in campo Steinkirchiano cum fœdera-  
 tis prælium iniit, eo successu, ut si  
 plures victorias tot cæsorum pretio re-  
 demisset, non modo devictus, sed e-  
 tiam per plures annos prælium ten-  
 tando impar fuisset: nec magis pro-  
 sper erat in freto Caletano Gallicæ  
 classis conflictus cum Auriaci Principis  
 & Batavorum classe: protracto enim  
 ad biduum prælio quindecim Gallorum  
 naves ab Anglis captæ, & quin-  
 quaginta sex aut submersæ, aut flam-  
 mis datæ sunt, trucidatis classiorum

Sæc. XVII. sex millibus, & duobus millibus in  
 A. C. 1692. censum captivorum reductis. Die e-  
 tiam decima tertia Augusti Caprara  
 cum Cæsareo & Sabauda milite in vi-  
 cinam Delphinatus Provinciam pene-  
 trans, post aliquot dierum obsidionem  
 Ebrodunum, & postea Vapingum,  
 aliaque oppida Gallis eripuit, ingruente  
 autem pluviarum copia in Italiam re-  
 versus est. Sinistris hisce Gallorum  
 conatibus Jacobus Angliæ Rex spe sua  
 penitus excidit: quippe ejus exercitus  
 ad Agrim Hiberniæ oppidum ingenti  
 strage dissipatus est, & quamvis post-  
 modum nova octoginta bellicarum na-  
 vium, & trecentarum onerariarum  
 classis triginta armatorum millibus in-  
 structa in Normaniæ portu hæreret,  
 qua præfatus Rex in Angliam deduce-  
 retur; nihilominus hæc classis vento-  
 rum vi per integrum semestre in altum  
 prævolare præpediebatur, quòcirca  
 Auriaci Uxor adversam classem oppo-  
 nendi, atque exscensionem munitis  
 undique littoribus prohibendi tempus  
 nacta, Jacobum intentato facinore Pa-  
 risios remeare compulit.

## §. XXVIII.

*Illustrium obitus.*

Eodem anno, quo Maximilianus Emma-  
 nuel Bavarix Elector Belgii Catho-  
 licus